

DIFFICULTAS

446. **P**rocedit de libris prohibitis secundæ classis, qui continent doctrinam non sanam, secundo modo explicato sub num. 405. & 423. qui scilicet sunt prohibiti, non quia contineant hæresim, aut falsi dogmatis suspitionem, sed quia sunt contra bonos mores, pacem, aut charitatem, &c.

447. Negant esse denunciandos Lupus p. 4. lib. 25. disp. 2. art. 3. diff. unica, pag. 464. pro quo Diana p. 11. tract. 8. ref. 62. citat Carenam p. 2. tr. 10. §. 10. num. 66. Bord. in Trib. Fidei, cap. 14. q. 38. num. 78. Ratio est, quia isti, ut constat ex Pio IV. & Indice adducto, num. 431. nulla afficiuntur excommunicatione, nec sunt suspecti de hæresi, sed solum peccant mortaliter, & dantur puniendi pœna arbitraria ab Episcopis, & licet ex litteris relatis, num. 436. tradantur etiam puniendi ab Inquisitoribus, non sequitur, quod sint denunciandi, quia non sunt suspecti.

448. Resp. tamen esse denunciandos, quia cit. & Bord. ipse in Man. Consult. sect. 48. num. 56. & sect. 46. num. 83. Probatur ex Bulla Greg. XV. & Urb. VIII. tenoris sequentis:

Apostolatus officium, &c. Cùm librorum lectio magno sincera fidei cultoribus detrimento esse noscatur, & sicut accepimus, nimis excessiva sit huiusmodi libros legendi licentiarum copia: Nos, &c. omnes, & singulas licentias legendi, & habendi libros quoscunque, ob hæresim, vel falsi dogmatis suspitionem, seu per constitutiones Apostolicas, etiam Astrologia iudiciaria, vel alios quomodolibet prohibitos, quibuscunque personis laicis, & Ecclesiasticis, tam secularibus, quam Regularibus cuiuscunque Ordinis, Societatis, & Institutii existentibus, ac quacunque dignitate, etiam Ecclesiastica fulgentibus, &c. etiam speciali nota, & mentione dignis, &c. ex quacunque causa, &c. concessas, &c. revocamus, cassamus, & annullamus, &c. quinimo libros per licentias huiusmodi permisso legentes, aut habentes, penas in Sacris Canonibus, Constitutionibus Apostolicis, & Indicibus librorum prohibitorum contentas incurere volumus, & declaramus.

449. Decernentes ut præsentis litteræ, postquam in valvis, &c. affixe fuerint infra duos citra montes, ultra verò montes infra quatuor menses, ex tunc proximis, omnes, & singulos ad quos spectant, ardeant, & afficiant, perinde, ac si uniceque personaliter intimata fuissent, quodque dictis duobus, & respectivè quatuor mensibus durantiibus, ii, qui libros prohibitos habuerint, eos ad Episcopum, seu Inquisitorem, qui illos quantocius comburere debeat, deferre, quique aliquos similes libros prohibitos habere sciverint, eos denunciare teneantur, neque de caterò similes licentias, nisi à Congregatione S. Officii dum singulis hebdomadis coram Nobis habetur, vel ab aliis per Nos etiam in eadem Congregatione specialiter deputandis, concedantur, &c. Dat. die 2. Apr. 1631.

Ubi hæc ultima verba: aliquos similes libros prohibitos referuntur ad priora: libros quoscunque ob hæ-

resim, vel falsi dogmatis suspitionem, vel alios quomodolibet prohibitos, ac proinde præfati Pontifices præcipiunt, denunciandos esse à scientibus detinentes libros quomodolibet prohibitos, etiam ob aliam causam, quæ non sit hæresis, aut falsi dogmatis suspicio.

Tum quia ex litteris recensitis sub num. 436. dantur puniendi ab Inquisitoribus tanquam eorum Judicibus, & consequenter dantur illis denunciandi.

Verum tamen est, eos non esse excommunicatos, nec suspectos de hæresi, ut probat Lupus cit. & concedit Bord. in Man. Consult. sect. 49. num. 81. & apud ipsum Carena, Saelles, & Bufartus, quia nec legunt, nec retinent librum contra fidem, unde isti puniendi sunt ab Inquisitoribus simplici punitione arbitraria sine abjurazione; quia non peccant contra fidem. Bord. cit. num. 83. Bonac. tom. 1. disp. 2. de Exom. punct. 4. num. 5.

450. Certum est autem 1. quod, qui assererent libros ex præscripto S. Inquisitionis prohibitos, posse in conscientia retineri, si non contineant doctrinam contrariam fidei, aut sacræ doctrinæ, esset denunciandos uti assererit propositionis temerariæ, & scandalosæ. Ita Diana p. 11. tract. 8. ref. 63.

451. Certum est 2. quod libri, qui non prohibentur perpetuò, sed suspenduntur ad tempus, donec expurgentur, eo quia unam, aut alteram hæresim casu contineant, vel ob alium errorem, non possunt legi, aut retineri intra tempus prohibitionis, & correctionis, ex Decr. Alex. VII. in prop. damnata 45. unde retinentes sunt denunciandi, facta autem correctione per eos, ad quos spectat, haud amplius sunt prohibiti.

452. Certum est etiam, non esse onus denunciandi, nec respectivè excommunicationem in casibus, in quibus quis à peccato mortali excusatur, juxta dicta, num. 288. pro qua re facit sequens Caput.

CAPUT VII.

DE EXCOMMUNICATIONE BULLÆ COENÆ
contra legentes, retinentes, &c. libros hæreticorum.

QUÆRES:

453. Quid requiratur ad incurrendam censuram Bullæ Coenæ excommunicationem?

Resp. requiri quinque simul condiciones, itaut una deficiente, censura non incurrat.

1. CONDITIO

454. **E**ST, ut Author libri sit hæreticus.

Nomine hæretici venit 1. ille, qui est damnatus, sive personaliter, & nominatim, sive generaliter in sua secta, de qua est natus. 2. Ille qui est natus inter Catholicos, & putatur Catholicus, liber tamen ab eo compositus ex professo tractat de hæresibus, &

& apertè Catholicas veritates impugnât, hæreses defendendo. Alberg. cap. 32. num. 21. & Bord. in Man. Consult. sect. 49. num. 68. hic namque licet non sit personaliter damnatus, nec natus ex hæreticorum secta, est perniciosior fidei hostis, quia est lupus inter agnos. Nec eum juvat protestatio, qua se, & sua opera Ecclesiæ correctioni subijciat, quoniam hæc est astuta collusionis, & factum satis ostendit mentem, dum contrariatur dicto. Et hic comprehenditur in verbis Bullæ Coenæ relatis, n. 419. ac omnes, & singulos alios hæreticos quocunque nomine censentur. Non sic de Authore Catholico, qui in suo opere unam, aut alteram hæresim per transitum, seu incidenter protulerit. Vide num. 360. 3. Veniunt schismatici; quia communiter sunt hæretici, unde liber Græcorum, & Armeniorum Schismaticorum de eorum ritibus tractans comprehenditur sub censura Coenæ quia de Religione tractat. Tamb. lib. 2. Decal. l. 1. §. 7. num. 8. contra Leandrum de Cens. tract. 3. disp. 1. q. 49. qui dicit, eorum ritus non esse ab Ecclesiâ habitos tanquam hæreticos.

455. Hinc ab excommunicatione Bullæ Coenæ excluduntur. 1. Libri Gentilium, Infidelium, Judæorum, & Cathecumenorum, quamvis contra Religionem, ut liber Thalmud, &c. quia non sunt libri hæreticorum. Vide num. 420. 2. Libri Origenis, & Tertuliani: quia licet habuerint errores contra fidem, ob specialem tamen utilitatem ab Ecclesiâ permittuntur, & jam sunt expurgati.

Tertiò excluduntur legentes, aut retinentes libros Catholicorum, in quibus referuntur errores hæreticorum, vel in quibus sunt scholia, aut annotationes hæreticorum (nisi scholia essent tam copiosa, ut ex illis potius, quam ex textu liber constare videretur) etiam si animo hæresim addiscendi legantur quia non sunt libri hæreticorum: supposito tamen, quod sint prohibiti, incurrit excommunicationem Indicis non reservatam; quia legunt, aut retinent libros, aut scripta ob hæresim, vel suspitionem falsi dogmatis damnata. Alberg. cap. 32. num. 4. Bord. in Trib. Fidei, cap. 14. à num. 66. Bulemb. lib. 7. cap. 2. dub. 3. art. 5. num. 1. Bonac. tom. 1. disp. 2. de Excom. punct. 4. num. 6. Imò Diana part. 1. tract. 11. ref. 32. & Leander de Cens. tract. 13. disp. 1. q. 46. idem tenent, etiam si scholia sint tam copiosa, ut ex illis potius liber constare videretur; quia adhuc diceretur liber Authoris Catholici, non hæretici.

2. CONDITIO

456. **U**T liber expressè contineat hæresim, vel de Religione tractet.

Unde ad incurrendam excommunicationem Coenæ non sufficit, quod liber sit hæretici, sed requiritur, quod contineat hæresim, vel de Religione tractet; ac proinde si ut liber medicinae, historiarum, &c. nullam continens hæresim, non cadit sub excommunicatione Coenæ, sed solum sub excommunicatione Indicis non reservatâ, quæ compre-

hendit omnes legentes, aut retinentes libros hæreticorum, licet hæresim non contineant, nec de Religione tractent. Leander de Cens. tract. 13. disp. 1. q. 37. Vide num. 425.

Contineat hæresim.

Filluc, Soufa, Carena, Grassius, & Sayrus, apud Bord. in Trib. Fidei, cap. 24. num. 70. quibus probabiliter adheret Diana part. 1. tract. 11. ref. 31. volunt, non comprehendi sub excommunicatione Bullæ Coenæ, sed solum sub excommunicatione Indicis legentes, aut retinentes librum hæretici, licet aliquas contineat hæreses, si non tractet ex professo de hæresi, aut de fide, puta, si esset liber Philosophiæ, Medicinæ, &c. sed requirit, ut ex professo, tractet de hæresi, fide de fide, aut Religione, quia particula hæresim, licet sit expressa in singulari, accipitur in plurali, ex imitatione Authorum acceptione, qui librum tractantem ex professo de hæresi vocant in singulari de hæresi, sicut librum tractantem ex professo de fide vocant in singulari de fide, licet ille innumeratas contineat propositiones hæreticas; ille de fide.

Quam opinionem Sanchez, apud Bulemb. lib. 7. de Censur. cap. 2. dub. 3. art. 5. num. 2. præsertim confirmat pro Germania, ubi Bulla Coenæ non est cum tanto rigore interpretata.

Et Bulemb. cit. addit: legens tamen tales (videlicet libros hæreticorum de Philosophiâ, Medicinâ, &c. sive nullam, sive aliquam incidenter hæresim contineant) incurrit in excommunicationem non reservatam. Indicis librorum prohibitorum, ubi is est receptus, quod non videtur esse factum in Germania, saltem cum isto rigore, ut habet Layman lib. 2. tr. 1. cap. 15. num. 8.

457. Dico tamen, comprehendi sub excommunicatione Bullæ Coenæ; etiam si non tractet ex professo de fide, aut Religione, & unam contineat hæresim, dummodo sit liber hæretici personaliter, seu nominatim damnati, aut nati ex secta hæreticorum. Sanchez in Sum. tom. 1. lib. 2. cap. 10. n. 34. Bonac. de Censuris, disp. 2. quest. 5. punct. 4. n. 19. Suarez, & Alterius, cum Diana cit. qui hanc sententiam probabiliorē vocat.

Ratio est, quia Bulla Coenæ relata num. 419. expressè requirit sub disjunctioe, quod liber hæretici contineat hæresim, vel de Religione tractet, per quam particulam disjunctivam dat clarè intelligere, sufficere quod liber contineat hæresim in singulari, licet de Religione non tractet, sed de medicina, &c. unde absolute hanc sententiam tenet Diana part. 6. tract. 6. ref. 55. Leander cit. quest. 39. Vide num. 442.

458. Hinc fit, quod si librum hæretici unam continentem hæresim legas, quoad partem notabilem non continentem hæresim, incidas in hanc censuram. Bord. ipse in Man. Consult. sect. 44. num. 44. Diana part. 6. tract. 6. ref. 55. quia legis opus prohibetur ratione sui totius, & librum hæretici continentem hæresim. Vide num. 531.

459. Quod si opus illud dividatur in plures tomos, tunc legendo totum non continentem hæresim, nec de Religione tractantem, non incidit in excommunicationem Bullæ Cœnæ, cap. 32. num. 7. incidit tamen, si omnes tomi non sint separati, sed cocant in unum librum, quia tunc quilibet tomus est pars totius libri. Diana part. 6. tract. 6. ref. 55. Vide num. 531.

Imò, si à libro hæretici unam continente hæresim, hæresim deleas, adhuc censuram Cœnæ incurris, si eum legas, aut retineas. Leander cit. quest. 41. ex Diana cit. contra Croulers in Reg. S. Franc. cap. 6. lect. 5. pag. 522. quia deletio hæresis fieri debet autoritate publica, ut liber relinquatur liber ad legendum, &c. Vide num. 531.

460. Vel de Religione tractet.

Certum quidem est, quod liber debeat ex professo, & non incidenter de Religione tractare: aliud enim est, librum continere hæresim, aliud de Religione tractare, nam ly tractare significat ex professo agere, ly continere vero, satis per unicum hæresim in libro reperiri verificatur. Vide num. 402.

De Religione tractare dicitur liber, si agat de Deo, ut objecto metaphysica, minimè, si agat de instructione politica, præscindendo ab instructione morum. Tamb. lib. 2. Decal. cap. 1. §. 7. num. 7.

DIFFICULTAS EST:

461. **A**N liber hæretici de Religione comprehendatur sub excommunicatione Bullæ Cœnæ, si nullam contineat hæresim?

Negat Bord. in Trib. Fidei, cap. 14. num. 20. quia si liber hæretici de Religione tractans, benè tractet, cessat finis legis prohibentis, qui est periculum subversionis, & infectionis.

462. Dico tamen, comprehendi sub censura Cœnæ, ut Bord. ipse fatetur novissimè in Man. Consult. sect. 48. num. 10. & 11. & sect. 49. num. 51. quia finis legis prohibentis lectionem, & retentionem librorum hæreticorum de Religione tractantium, nedum est periculum infectionis, qui quidem solum habetur, si contineant hæresim, sed etiam odium Authorum, in quantum indignum visum est Ecclesiæ, ut fideles in materia Religionis ab hæreticis erudiantur, ut innuit num. 404. & 417. quia finis permanet, etiam si liber nullum errorem, sed sanam doctrinam contineat.

Tum, quia particula disjunctiva, vel significat sufficere absolute unum, vel alterum, nempè, vel quod liber hæresim contineat, vel quod de Religione tractet; alioquin, si liber de Religione deberet hæresim continere, hoc secundum non exprimeret quid distinctum à primo, sed contineretur in primo, ac proinde non fuisset necessaria, sed superflua disjunctio; quia ex jure: *Leges non patiuntur clausulam superfluum.*

3. CONditio:

463. **U**T legatur materia notabilis sufficiens ad mortale.

Datur enim parvitas materia: hinc ab excommunicatione Bullæ Cœnæ excusat lectio decem linearum, etiam si libi exprimat hæresim; quia tam parva, & subita lectio non infert periculum infectionis. Vide num. 509. excusat pariter lectio unius pagina: Bord. cum multis in Man. Consult. sect. 49. num. 25. etiam magni voluminis, secundum Sanchez, Rodr. & Sà, apud Busemb. lib. 7. cap. 2. dub. 3. art. 5. num. 5. idem tenent Diana p. 6. tract. 6. ref. 55. & Leander de Censur. tract. 3. disp. 1. q. 16. Id tamen nego de pagina magni voluminis cum Bonac. tom. 3. de Cens. disp. 1. quest. 2. punct. 4. num. 14. & Castropal. tract. 4. disp. 2. punct. 10. num. 5. Layman, qui apud Busemb. cit. concedit Confessario, ut possit ea opinione uti, ut non semper damnet peccati mortalis, & excommunicationis eum qui bono fine, vel etiam ex curiositate unam paginam legit.

Non excusat autem lectio unius folii Bord. cit. num. 70.

Excusat verò retentio unius folii, etiam si hæresim contineat. Leander cit. q. 67. cum Sanchez, & Fagund. contra Bonac. quia sicut minus periculum est retinere, quam legere unum folium, ita minus delictum est retinere, quam legere unum folium; adeoque, licet unum folium respectu lectionis sit materia notabilis, nec sic respectu retentionis. Ita Leander cit.

464. Qui proposuit multum legere; at postea paginam non excisit: aut multum retinere, sed mutata voluntate, librum contulnavit, excusatur; quia ad incurrendas penas humanas, non sufficit intentio executionis, sed requiritur ipsa executio; quia pena inducitur ex actu externo perfecto. Bord. cit. n. 43.

465. A fortiori excusat parvitas temporis in retinendo; quia periculum infectionis magis viget in lectione, quam in retentione, ut constat.

Unde excusaris, si retineas per unum, aut alterum diem. Busemb. cit. num. 6. Bord. cit. num. 25. etiam ultra, si expectes opportunitatem eum consignandi Superiori, pro quo citat Sayrum, Sanchez, Farinac. Graff. Salelem, & Delbene; idem tenet Leander de Cens. 3. disp. 1. q. 68. cum Bonac. Reginal. Duardo, & aliis, his verbis:

Si enim commotus de ferendi ad Inquisitores deesse, & illa absque fraude, & negligentia diu expectaretur, non esset locus huic censura, quia non dicitur vere retinere contra Ecclesiam interdictum, qui opportunum tradendi tempus expectat: siue nec dicitur rem alienam invito domino possidere, eam restituendi commode occasione expectans. Vide num. 571.

Et quest. 69. addit: quod si post datam opportunitatem consignandi, adhuc retineret per duos dies, non incurreret censuram, ob parvi temporis retentionem. Bonac. tom. 1. disp. 1. q. 2. punct. 4. num. 14. Tamb.

Tamb. lib. 2. Decal. cap. 1. §. 7. num. 44.

466. Excusatur ab excommunicatione Cœnæ legens epistolam hæretici; aut brevem concionem seorsim editam, etiam si contineat hæresim. Busemb. cit. num. 4. & Alberg. cap. 32. num. 5. Diana p. 1. tr. 11. ref. 34. cum Filiuc. quia non est liber, & lex loquitur de libro.

467. Eam tamen incurrit, qui legit in quantitate notabili in libro hæretici Dedicatorem, Proceum Epistolam ad lectorem, aut Indicem; etiam si nulla in ea parte sit hæresis, nisi excuset parvitas materia: Doctores cit. quia hæc sunt partes libri. Vide num. 458. 509.

468. Nomine libri venit volumen, sive magnum, sive parvum, sive typis impressum, sive scriptum. Leand. cit. q. 43. cum multis contra Tamb. lib. 2. Dec. cap. 1. §. 7. à num. 13. qui tenet manuscriptum non venire nomine libri, ac proinde non comprehendi sub censura Cœnæ; hæc enim est differentia accidentalitatis in ratione characteris. Nomine scripti venit unum, vel alterum folium, sive scriptum, sive impressum.

469. Quatenus venit nomine libri, quia est volumen; quod enim liber pluribus quaternis constat, est differentia materialitatis: hinc ritè scholasticis theses, quas non in folio, sed in uno quaternio frequenter in publicis disputationibus tradunt, vocant vulgò *Quaternillo*: quatenus dicitur, qui ex quatuor chartulis complicatis constat.

470. Bulla autem Cœnæ exprimit librum, non scriptum; quia liber diu conservatur, & facilius publicatur, ac communicatur.

471. Hinc qui unum, vel alterum folium à libro separatim legit, non incidit in censuram Bullæ Cœnæ, quia nec actu, nec potentia saltim proxima est liber, sed scriptum: incidit autem in censuram non reservatam Pii IV. & Indicis, quæ comprehendit tam libros, quam scripta. Vide num. 431. & 468.

DIFFICULTAS EST

472. **D**E Vendoribus, qui retinent in quantitate, & massa notabili folia librorum prohibitorum divisa; ut illis involvant res venditas. An scilicet incidant in censuram Cœnæ?

Negat Delbene dub. 40. per. 6. quia finis legis prohibentis librorum hæreticorum retentionem, est ut destruantur; & venditores jam eos retinent ad destruendum, dum retinent, ut eorum folia dividant, eisque cibaria involvant: imò per hujusmodi usum desinunt esse libri, & censetur massa chartacea destinata non ad legendum, sed ut vendantur ad pondus, & ut ad alium vilem finem inserviant.

473. Dico tamen, eos incidere in Censuram Cœnæ; quia hujusmodi foliorum divisio est potius libri hæretici communicatio, quam destructio; & est magis perniciosa Christianæ Reipublicæ, ac contraria fini legis prohibentis, ob inferioris periculum; quia sic magis hæreticorum errores communicantur,

quàm si totus liber apud unum extasset; adde librorum destructionem non esse faciendam autoritate propria, sed superiorum; & per combustionem, ut infra, ac proinde hujusmodi retentores incidunt in censuram Cœnæ. Ita Bord. in Man. Consult. sect. 49. num. 27.

4. CONditio,

474. **U**T scienter legatur, retineatur, &c. Liqueat ex verbis Bullæ Cœnæ, num. 162. *scienter legentes, aut retinentes, &c.* quæ conditio requiritur, tam ad censuram Cœnæ, quàm Pii IV. quia una Bulla aliam declarat. Bord. in Man. Consult. sect. 49. num. 50.

475. Ignorantia alia dicitur invincibilis, & est illa, quæ moraliter vincit, & expelli non potest; & tunc habetur, quando nulla cognitio, cogitatio, aut expressa dubietas de obligatione menti occurrit, qua possit quis excitari ad inquirendam legis, & obligationis notitiam: vel si menti occurrit, fecit juxta rei qualitatem, moralem diligentiam ad habendam notitiam, & non habuit: ut si dubitans, librum esse hæretici, interrogavit virum putatum doctum, & accepit, non esse, cum sit: & hæc dicitur involuntaria, & inculpabilis.

Alia dicitur vincibilis, quæ moraliter potest vincit, & expelli: & tunc habetur, quando non est facta diligentia moralis ab eo, cui occurrit expressa dubitatio de obligatione, & hæc dicitur voluntaria, & culpabilis.

476. Ignorantia vincibilis est duplex, crassa, seu stupida, & affectata; crassa est, cum quis per meram negligentiam est piger ad eam deponendam; & hæc est voluntaria indirectè, quatenus est volita in alio tanquam in causa, scilicet in negligentia sciendi: dicitur *crassa, & stupida* per metaphoram desumptam ab homine crasso, & piangi, qui communiter nimis negligens, & segnis esse solet; etiam ab homine supinè in lecto jacente, qui sicut non curat videre ea, quæ propè ipsum sunt, & negligit surgere ad vitanda mala sequentia, ita ille non curat surgere ad ignorantiam repellendam.

477. Affectata est, cum quis data opera vult ignorare, ut cum quis consulto non vult scire, an hic liber sit hæreticus, ut liberis illum legat, aut retineat, & hæc est voluntaria directè; quia directè terminat affectum, & actum voluntatis: ubi advertit Arriaga, quod quando tu judicium probabile de aliqua re formas, non dicaris habere ignorantiam affectatam, & culpabilem, de qua hic est sermo; esto enim tunc consulto de ea re nolis amplius inquirere, & scire, & si fortè in re erres, non censeris ignorantiam affectare moraliter, nam conscientia probabilis à peccato excusat. Ita ille in tract. de Actibus humanis.

478. Demum ignorantia est triplex: antecedens, concomitans, & consequens; antecedens est illa, quæ est causa actus, ita ut ea non posita, actus

non feret, & habetur cum quis est ita dispositus, ut v. gr. si sciret librum esse hæretici, & legem prohibentem sub censura, illum non legeret. Concomitans est illa, quæ non est causa actus, ita ut sine ea adhuc actus fieret; & habetur, cum quis est ita dispositus, ut si sciret librum esse hæretici, & legem prohibentem sub censura, adhuc illum legeret. Consequens est illa, quæ voluntatem sequitur, eò quod sit verè voluta, aut indirectè cum est crassa; aut directè, cum est affectata: unde est ignorantia libera, quatenus potuit eam non habere, & noluit illam depone. Ignorantia autem antecedens, & concomitans non est libera, nisi sit crassa, aut affectata: His positus,

479. Dico 1. quod legens, aut retinens, &c. librum, ignorans esse hæretici, & hæresim continere, aut de Religione tractare ignorantia crassa, five antecedenti, five concomitanti, five juris, five facti excusatur à censura: minimè, si ignoret ignorantia affectata. Est communis quoad 1. partem Busem. lib. 7. cap. 2. dub. 3. art. 5. nam. 7. & Leander de Censur. tract. 1. disp. 9. à q. 18. ad 22. est tamen quoad 2. partem contra Dianam p. 3. art. 6. ref. 7. & p. 5. tract. 5. ref. 11. Bonacio. Tamb. & Hurt. qui iisdem rationibus idem tenent de ignorantia affectata.

480. Ratio 1. partis est 1. quia quando lex pro incurfione pœnæ expofcit scientiam, illa ignorantia excusatur, quæ scientiæ opponitur; talis est ignorantia crassa, nam crasse ignorantes non dicuntur scientes: 2. quia quando lex pœnalis requirit scientiam, solum intendit punire delictum formaliter, & directè volitum quale non est cum ignorantia crassa; unde icet hæc non excuset à culpa, excusatur à pœna lege humana imposta contra scientes.

481. Nec officit, si ignorantia sit concomitans, quia dispositio, & affectus ille, quod adhuc librum egiffes, si sciviffes esse hæretici, & legem sub censura prohibentem, si est habitualis, virtualis, aut actualis, cum non supponat actualem cognitionem ejus, non facit actu voluntarium actum individuum externum lectionis libri sub circumstantia hæreticali, & censuræ. Item solum si est actualis, facit, quod legens tantum peccet peccato interno, non externo; nam lectio externa non procedit hic, & nunc ex ea prava voluntate; quia actus externus non est voluntatis, nisi procedat ab actu voluntatis tanquam à causa.

482. Ratio 2. partis, quia ignorantia affectata æquiparatur scientiæ, & æquivalens dolo: sic namque ignorans, expressè non vult intelligere, ut liberius peccet: ecce dolum, & temeritatem: dolo autem ex jure nemini suffragari potest. Idem est dicendum, quando pœna imponitur sub his verbis: Si quis temere, malitiosè, consultò, audacter; si quis præsumptuosè, ausus fuerit id facere, hæc pœnam incurvat. Nam temeritas, audacia, & similia, cum requirant contemptum, æquivalent conscientiæ, &

dolum important, quæ non reperiuntur in laborante ignorantia crassa.

483. Dico 2. quod scienter legens, aut retinens librum hæretici, ignorans tamen esse illi annexam excommunicationem Bullæ Cœnæ, excommunicationem non incurrit; quia ignorantia pœnæ excusatur à pœna, unde potest à quolibet Confessario absolvi, à quo quidem monendus est de censura, & obligandus ad consignandum librum Inquisitoribus. Vide num. 553.

5. CONDITIO

484. EST, ut legatur, retineatur, &c. sine licentia.

Unde non incidit in censuram, qui cum debita licentia librum hæretici legit, aut retinet: debet autem cautè eum retinere, ne perveniat ad manus licentiam non habentis.

Habens tamen licentiam potest committere alteri eam non habenti, ut legat eam coram se audiente, si ille linguam Latinam ignoret. Bord. in Man. Consult. sect. 50. num. 35. cum Delbene.

485. Licentia legendi, aut retinendi libros, five ob hæresim, five quavis ex causa prohibitos, dari non potest, nisi à Summo Pontifice, vel à S. Congr. S. Officii coram Sanctissimo habita, aut ab iis, qui fuerint ab eadem S. Cong. ad id specialiter deputati: constat ex Decr. Urb. VIII. num. 448. relato.

486. Unde eam dare non possunt, nec prædictos libros legere valent Cardinales, Episcopi, aut Inquisitores, nisi speciale deputationem habeant. Patet ex illis verbis Decreti: Neque de cætero similes licentia nisi à Congr. S. Officii coram Nobis, vel ab aliis per Nos in eadem Congr. specialiter deputandis concedantur. Ubi particula exclusiva nisi omnes præter nominatos excludit. Bord. in Man. Consult. sect. 50. num. 22. Diana p. 4. tract. 8. ref. 46.

487. Possunt autem Inquisitores licentiam suis Qualificatoribus concedere legendi libros non jam prohibitos, in quibus sunt hæreses, errores, & propositiones qualificatione indigentes; minimè verò loquendo de libris jam prohibitis. Bord. cit. sect. 48. num. 61. quia munus Inquisitorum quoad libros continentes errores, & propositiones qualificatione indigentes, est eos qualificare; quoad libros verò jam prohibitos munus est illos comburere, non qualificare, cum jam qualificati supponantur.

488. Tamb. in lib. 2. Decal. cap. 1. s. 7. num. 20. ait: Considerent autem docti, num hæc Urbani clausula (ne concedantur) auferat potestatem; non enim dicit, ne possint concedere, sed ne concedantur, per quæ verba videtur insinuare, quòd Decr. Urb. prohibet actum, minimè tollat potestatem concedendi licentias.

Doctores autem cit. communiter ex Decr. Urb. inferunt, non posse alios præter nominatos hujusmodi licentias concedere; & ritè, quia finis legis fuit omnes tales licentias eliminare per illa verba: Cassamus,

mus, & annullamus, qui finis suum non sortiretur effectum, si iidem possint illas concedere, quoniam licentiæ cassatæ possunt iterum per eorundem novam concessionem resurgere.

489. Sælles autem, regula 141. num. 69. tenet, quòd Inquisitores possunt legere libros prohibitos, non obstantè Bulla Urb. VIII. quia ejus mens potestè benignè interpretari, in quantum conforme est juri naturali, & necessarium bono publico fidei ad ejus defensionem, ut Inquisitores fruantur privilegio legendi, & habendi libros prohibitos, sine quo vix possunt suum munus exequi.

Non placet Bord. cit. quia si sine tali privilegio non possent suum munus exequi, haud prudenter Pontifex privilegium revocasset, satis autem possunt suum munus exequi, dum libros, aequam prohibeantur habere valent, & qualificare, ut si opus sit, prohibeantur.

490. Unde Leander de Censur. tract. 3. disp. 1. q. 73. habet:

Sed licet hæc sententia olim mihi probabilior esset, nunc autem post Decr. Pauli, & Urb. VIII. Latam die 2. Aprilis anno 1631. ubi revocantur omnes licentia legendi libros hæreticorum, vel de hæresi suspectos, aut alias reprobatos, & damnatos, in Regnis Hispaniarum concessa ab Inquisitori Generali, ab Episcopis, imò ab ipso Pontifice (exceptis Inquisitori Generali concessis) quibuscumque personis, quavis conditione, & dignitate fulgentibus, & qualificatis, omnino dicendum est, non excusari à prædicta excommunicatione Inquisitores, legendos libros hæreticos, nisi Inquisitor Generalis duxerit; quia hunc solum excipiunt dicta Pauli, & Urb. decreta, quæ sunt apposta in Indice librorum prohibitorum, edito Hispani anno 1632. Tra ille.

491. Qui in q. 76. concedit, posse Episcopos legere libros hæreticorum, & dare facultatem aliis eos legendi in casu necessitatis; quia in casibus necessitatis potest Episcopus circa casus Pontificis.

Loquendo præcisè de libris, ob aliam causam prohibitos, quam ob hæresim, aut falsi dogmatis suspitionem, Homobonus tract. 11. q. 15. ref. 4. concedit, quod non obstante Conf. Greg. XV. omnes licentias revocante, possint ab Episcopo, aut Inquisitore viris dignis permitti.

Castellus lib. 1. q. 13. id concedit solum quoad libros corrigendos; quia Greg. licentias revocando, locutus est de libris prohibitis, nomine quorum veniunt libri simpliciter prohibiti.

Hæc duo dicta non approbat Diana p. 11. tr. 8. ref. 62. quia verba Bullæ, tam Gregor. quam Urb. sunt absoluta, & generalia: imò adducit consuetudinem, & observantiam, his verbis: Confectudo, & observantia interpretata est verba Bullæ Urb. VIII. non solum includere libros absolute prohibitos, sed etiam prohibitos, donec corrigantur: patet ex praxi, & stylo Trib. S. Inquis. quòd ipsam solum præbet licentiam legendi libros prohibitos, donec corrigantur; nec ullus Episcopus ausus est post Bullam Urb. VIII. & Gregor. XV.

talem licentiam præbere.

492. Possunt Inquisitores particulares, v. gr. Regni Siciliae concedere licentiam legendi libros ab ipsis prohibitos.

DIFFICULTAS 1. EST:

493. AN tali licentia possit, qui eam habet, uti ubique terrarum?

Difficultas non procedit de licentia à S. Congregatione, aut ab aliquo Inquisitore ab ea ad id deputato concessa: nam quòd eam habens possit ubique eos legere, non est dubium; quia est privilegium personale concessum à superiori universali, adeoque sequitur personam in omni loco.

494. Sed est difficultas de licentia ab aliquo Inquisitore concessa legendi libros specialiter ab ipsis prohibitos, an valeat eam habenti in aliis locis, ubi etiam sunt prohibiti? An scilicet licentia tibi concessa ab Inquisitoribus Regni Siciliae legendi libros specialiter ab ipsis prohibitos tibi valeat, etiam in Regno Sardinia, & in aliis locis, ubi pariter iidem libri sunt à propriis Inquisitoribus specialiter prohibiti?

Dixi: si etiam ibi sint specialiter prohibiti? quia si non sunt ibi specialiter prohibiti, certum est, te ibi eos legere posse; quia prohibitio librorum facta ab Inquisitore alicujus Provincia, aut loci, non ligat extra illam Provinciam, & locum, nam ejus jurisdictione restringitur intra proprium territorium.

495. Affirmat Hieronymus Rodr. in Comp. ref. q. 2. num. 2. Enman. Rodr. & Navar. apud Dianam p. 1. tract. 8. ref. 100. quia talis licentia est privilegium personale personam sequens quocumque vadit. 2. Quia talis licentia procedit ex jurisdictione voluntaria, & gratiosa, quæ etiam extra proprium territorium potest exerceri, ut absolvere, dimissorias concedere, &c.

496. Dico tamen, te non posse tali licentia uti in aliis locis, ubi etiam libri sunt specialiter prohibiti. Port. verb. Librorum prohibitio, num. 4. Leander de Cens. tract. 3. disp. 1. q. 78. quia sunt territoria diversa, & privilegium unius Episcopi derogare non potest præcepto alterius Episcopi.

497. Rationes in oppositum non sunt ponderis: nam prima est vera, quando privilegium non invenit in aliis locis legem contrariam; quia privilegium unius Episcopi, aut Principis non potest derogare præcepto alterius Episcopi, aut Principis: hinc habens licentiam deferendi arma prohibita à Præore Neapolis, non potest ea deferre in Regno Siciliae.

498. Ad 2. illa jurisdictione est voluntaria, & gratiosa, quæque exerceri potest extra proprium territorium, quæ non præjudicat jurisdictioni Superioris alterius territorii, puta, si concedat tibi beneficiis talis est, ut concedat dimissorias proprio subdito, ut ordines suscipiat ab alio Episcopo; quia sic alterius Episcopi jurisdictionem non lædit, sed potius fovet, submitiendo suum subditum alterius jurisdictioni.

Qqq 2

quoad

quoad ordines suscipiendos, similiter potest in alieno territorio absolvere, si absolvendus adhuc ibi sit ipsi subditus, juxta dicta num. 207. non potest autem non subdito, nec dimissorias, nec absolutionem pro alieno territorio concedere: imò sicut licentia audiendi confessiones data tibi ab uno Episcopo non valet in territorio alterius, ita nec recentita licentia legendi libros prohibitos valet in territorio alterius Inquisitoris.

DIFFICULTAS 2. EST:

499. **A**n talem potestatem hujusmodi licentias concedendi suis Religiosis habeant Generales Regularium?

Afirmat Peyr. tom. 2. de Privileg. const. 9. Pauli V. num. 10. dicens Urb. VIII. non revocasse privilegia Regularium, nam tantum loquitur de licentiis concessis personis particularibus, non de Privilegiis Regularium.

500. Dico tamen, Generales Regularium, etiam Societatis, hujusmodi licentias concedere non posse. Diana p. 3. tract. 13. ref. 49. Bord. in Trib. Fidei, cap. 14. num. 34. quia Urb. VIII. annullat omnes, & singulas licentias, etiam per Constitutiones Apostolicas, & quavis ex causa, & quibusvis personis, quomodolibet privilegiatis concessas: & in fine ab hujusmodi licentiis dandis excludit omnes, præter ibi nominatas, ut in num. 449. ac proinde omnia privilegia, quæ quoad hoc erant, excludit. Tum quia (ut bene advertit Diana) Inquisitores adhuc possunt libros prohibitos legere; quia hoc eis competit ex privilegio concessio dignitati, & non personæ; & Bulla Urb. annullavit licentias personis privatis concessas, non privilegia: sicut igitur post Bullam Urb. non possunt Inquisitores libros jam prohibitos legere, nec licentias eos legendi concedere, sic nec possunt Generales Regularium.

His de rationibus Diana cit. ait, se impetrasse, & obtinuisse à Sac. Cong. Univerf. Inquisit. licentiam legendi libros quomodolibet prohibitos, & eam registrasse hic Panormi in Trib. S. Officii die 20. Aug. 1636.

501. His igitur quinque conditionibus positis, legentes, retinentes, imprimentes, vel defendentes libros hæreticorum, Censuram Bullæ Cænar, incurrun.

CAPUT VIII.

DE LEGENTIBUS LIBROS HÆRETICORUM.

502. **L**egere dicitur non solum qui voce, sed etiam qui tacitus oculis librum percipit.

503. Legens, ignorans tamen linguam Latinam, aut aliam, qua est liber confectus, nec peccat, nec incurrit censuram. Diana p. 1. tr. 11. ref. 36. Bord. in Man. Consult. sect. 49. tract. 12. & 72. & apud ipsum Sanchez, Delbene, & alii contra Bonac.

quia cessat finis legis, nempe periculum infectionis, & odium Authoris; quia Author ex lectione intelligentis, non ignorantis, honorem consequitur: lectio namque illa est materialis, importans præcisè sonum articulatum verborum, quo pacto etiam à pisticato esse solet: hic locum habet illud Cætonis: *legere, & non intelligere, non est legere*: per talem ergo lectionem, nec periculum adest, nec communicatio cum hæretico in doctrina.

504. Si verò illum per notabile tempus retineat, peccat mortaliter, & incurrit censuram. 1. Quia talis retentio est in periculum infectionis aliorum, & in honorem Authoris. 2. Quia retentio per Bullam Cænar independenter à lectione prohibetur. Constat per particulam disjunctivam, aut, in num. 421. legentes, aut retinentes. Leander de Cens. tract. 3. disp. 1. quest. 63.

505. Legentes curiositatis causa, aut ob sermonis elegantiam non excusantur. Leander de Censur. tract. 13. disp. 1. q. 53, quia hæc non liberat à periculo infectionis. Tum quia prohibitio est absoluta, nec Bulla considerat affectum legentis, sed factum.

506. A censura excusatur, qui librum hæretici aliàs sæpè lectum, & mente retentum memoria recitat: etiam ex malo fine. Leander cit. q. 56. Bord. in Man. Consult. sect. 49. num. 48. Navar. Fagund. Delbene, & nonnulli alii, apud eos; quia recitare non est legere, nec Bulla finem legentis, sed factum considerat.

507. Non excusatur famulus, si legat de mandato Domini ipsi Domino audire volenti, si famulus, quod legit, intelligit; quia verè legit.

Excusatur verò quis, si legat de mandato alterius, à quo prudenter grave damnum videtur. Bord. cit. num. 41. Leander cit. q. 57. & alii, quia metus gravis cadens in virum constantem excusat à transgressione præcepti Ecclesiastici. Ita Leander cum permultis de Cens. tract. 1. disp. 9. q. 25. contra Durandum; quia non potest de pietate S. Matris Ecclesie præsumi, quòd velit præcepta sua cum gravi damno obligare, sualque pœnas ligare. Tum quia, qui ex gravi metu transgreditur, non censetur contumax; quia non ex contemptu, sed necessitate.

Rationes in oppositum explicantur de metu levi.

508. Ipse hæreticus, si suum librum hæresim continentem, aut de Religione tractantem, legat, aut retineat, est pariter excommunicatus excommunicatione Cænar, ex duplici titulo; videlicet ratione hæresis, & ratione lectionis, vel retentionis libri hæresim continentis, aut de Religione tractantis. Leander de Cens. tract. 3. disp. 1. q. 52.

509. Semper autem in lectione librorum prohibitorum est attendenda gravitas materiae, ubi commune est, quod legens partem notabilem, in qua non est error, peccat mortaliter, & censuram incurrit, si lectio sit sub censura prohibita; quia ob unum errorem, totus liber est prohibitus, & sic quoad sui

om-

omnes partes; & satis doctè advertit Tamb. in secundo libro Decal. cap. 1. §. 7. num. 35. quòd si consulto legas paucas lineas illas, ubi est error, ob quem liber fuit prohibitus, pecces mortaliter, & respectivè censuram incurras; quia cum illæ lineæ sint tota causa prohibitionis, inobediens erit gravis; si autem eas legas, non consulto, sed casu, excusaris ob parvitatem materiae. Vide num. 467.

QUÆRES I:

510. An famulus legendo librum hæretici impulsus à Domino metu gravi cadente in virum constantem, incurrat censuram, si metus sit incussus in contemptum Religionis, seu potestatis Ecclesie?

Respondeo mortaliter, sed non incurrere censuram, tenent Candidus, & Salas, apud Leandrum de Cens. tract. 1. disp. 9. q. 26. Ratio est, quia hic non peccat contra præceptum Ecclesiasticum de non legendis libris hæreticorum sub pœna censura; nam præceptum Ecclesiasticum non obligat cum tanto detrimento; sed contra præceptum Divinum tuendi fidem, & Religionem, quod obligat etiam cum periculo vitæ.

Respondeo, peccare mortaliter, & censuram incurrere. Leander cit. Bord. in Man. Consult. sect. 49. num. 41. Villal. Filliuc. & alii permulti. Ratio 1. quia contemptus fidei est ab intrinseco malus, ut nulla ratione valeat cohonestari. Ratio 2. quia cum in tali casu iste obligetur sub mortali præcepto Divino ad non legendum, prudenter præsumitur, quòd etiam Ecclesia velit illum sub præcepto sub censura obligare.

QUÆRES II:

511. An audiens alium legentem librum hæretici incurrat censuram?

Regat Azorius, Sayrus, Grass. Layman, apud Leandrum de Cens. tract. 3. disp. 1. q. 59. si audiat casu, aut si alium sua voluntate legentem ad audiendum accedat. Afirmant verò si consilio, iustis, petitione, mandato inducat alium, ut sibi legat. Ratio est, quia qui per alium facit, per se ipsum facere videtur. 2. Quia iste non se habet merè passivè, sed active influendo, & idèd legit.

Absolutè affirmant Leander cit. q. 58. & 59. Suarez, & Roccaffal. apud ipsum, si ve audiat casu, si ve consilio, iustis, petitione, aut mandato inducendo. Ratio est 1. Quia lectio consilium ex duplici actione, nempe ex prolotione, & perceptione verborum, adeoque audiens, cum percipiat verba, quæ profertur, dicitur lectionem consummare, & sic legere completivè. 2. Quia idem est periculum infectionis in audiente, & legente.

Respondeo, quod audiens legentem librum hæretici, si ve primo, si ve secundo modo audiat, peccat mortaliter, sed non incurrit censuram. Port. ver. Librorum prohibito, in Addit. num. 11. Tamb. lib. 2. Decal. cap. 1. §. 7. num. 32. Diana p. 1. tract. 11. ref. 33. & apud ipsum Filliuc. Sanchez. Bonac. & permulti.

Ratio est; quia ex jure verba legis pœnalis sunt in propria, & stricta significacione accipienda.

Imò Tamb. cit. num. 33. concedit, quòd si Dominus audiat famulum indoctum suo iussu legentem librum Latium prohibitum, neuter peccet, nec incurrat censuram, non Dominus, quia non legit, nec dicitur cooperari peccato alterius, quia solum induxit famulum ad materialem lectionem, quæ non est prohibita. Vide num. 503. non famulus, quia materialiter legit. Dico tamen, famulum peccare mortaliter ratione cooperationis, si sit periculum infectionis in Domino audiente; præsertim si sciret, eum audire animo errore addiscendi.

512. Ad rationes appollitas, ad 1. primæ opinionis, in recentita regula: qui per alium facit, & factio non accipitur proprie, & strictè, sed interpretatur per fictionem juris, delicta verò in ordine ad pœnas præsertim censuras, non finguntur: hinc ex communi sententia censura lata contra facientes non afficit mandantes, consulentes, inducentes, &c. Bord. cit. num. 35. cum Bonac. q. 1. de Cens. Barb. & aliis, inducens autem alium ad legendum præcepto non dicitur legere, quia, ut advertit Bord. cit. lectio est actus physicus vitalis, inductio verò est actus moralis.

Per hoc solvitur secunda ratio, quia iste se habet activè actione morali, non physica, physica autem quoad lectionem, qua non audit, passivè se habet: ac proinde proprie non legit.

513. Ad 1. secundæ opinionis: lectio quidem dicit duas actiones, prolotionem scilicet, & perceptionem, seu intelligentiam verborum, quæ tamen utraque sit in ipso proferente quasi actus immans, hinc ex defectu intelligentiæ in ipso proferente diximus num. 503. quòd legens, & non intelligens non est legens, ac proinde à censura excusetur.

514. Ad 2. licet idem sit periculum infectionis in audiente, & legente, non sequitur, quòd audiens censuram incurrat, sicut legens; quia lex solum expressit legentes, non audientes; quod aperte demonstrat, noluisse audientem comprehendere; quia ex jure, si aliud voluisset, expressisset, & in odiosis non valet argumentum de casu expresso ad casum non expressum ex idemitate, aut similitudine rationis. Vide num. 579.

515. Ratio autem, quare lex legentes, non audientes expressit, potuit esse; quia leges non ad ea, quæ raro, sed quæ sæpè contingunt, se referunt. L. Nam ad ea, ff. de Legibus: lectio verò libri hæretici sæpè, auditio raro contingit, nam legens, sciens se denunciandum, & puniendum, diligenter curat in occulto legere, ut à nullo audiat: certum namque est, ut audiens legentem librum prohibitu teneatur illum denunciare. Bord. in Man. Consult. sect. 49. num. 40. & idèd lex fulminando censuram, legentes, non audientes expressit.

QUÆ-

QUÆRES III.

516. An legens librum hæretici in Gallia, Anglia, & aliis locis, ubi Bulla Cæne non est recepta, incidat in censuram?

Resp. negativè, Diana part. 1. tract. 11. ref. 35. Leander de Censur. tract. 3. disp. 1. q. 51. Becanus, Sanchez, & quamplures, apud eos, quia hoc est commune cunctis legibus humanis: hinc Becanus in Summa Theolog. tract. 3. cap. 6. q. 8. num. 4. ait, multos Catholicos in Germania excusari à censura, quia multis in locis Bulla usu recepta non est.

517. Non excusatur autem in locis illis, ubi Catholici sunt cum hæreticis permixti, & Bulla est usu recepta, ubi Leander cit. addit limitationem Hurtadi de Mendoza, his verbis:

Ait enim, quod illi, ad quos non spectat tueri fidem, in dictis Provinciis, publica disputatione, aut scripto, minime possint tales libros legere, quanvis sit cum animo errores confutandi; bene tamen illi, quibus incumbit fidei propagatio; quia tunc ipsa fides pateretur damnium: cum libris hæreticorum non inspectis, non possint illorum errores oppugnari: possunt ergo, imò & debent tales Doctores huiusmodi libros in dicto casu legere.

CAPUT IX.

DE RETINENTIBUS LIBROS HÆRETICORUM.

518. **R**etinere dicitur, qui apud se librum habet, sive proprium, sive alienum, quovis modo illum habeat, sive commodatum, sive ad legendum, &c. sive retineat proprio, sive alieno nomine; quia Bulla non requirit, quòd liber sit proprius retinentis, sed absolutè prohibet, ne retineatur, & retinens alieno nomine verè dicitur retinens. Bord. cit. sect. 49. num. 14. & in Trib. Fidei, cap. 14. num. 72. etiam si in aliena domo habeat. Bulemb. lib. 7. cap. 2. dub. 3. art. 5. num. 8. Bonac. tom. 3. disp. 1. q. 2. punct. 4. num. 15. unde hic à censura non excusatur.

519. Retinens ad confutandum non excusatur à censura. Bord. in Man. Conf. sect. 49. num. 13. quia lex absolutè prohibet, & factum respicit, non affectum: & intentio bona non potest cohonefcare actum absolutè prohibitum. Potest autem hic à suspitione hæresis se defendere, si id probet ostendendo confutationes ante inventionem librorum factas. Bord. cit. num. 74. quia non potest presumi suspectus de hæresi, qui ex professo hæresim impugnat: nec tunc adesse periculum infectionis constat ex contrario affectu, cum ex confutatione hæresis extirpetur; quoniam nulla causa potest producere effectum sibi contrarium: unde sicut calor non potest causare frigus, ita nec confutatio hæresis hæresim: hinc ait Bord. cit. num. 75. hic est singularis casus, ex quo ab excommunicatione non inferatur ad suspitionem hæresis, quia constat de eius destructione.

520. Item non excusatur à censura retinens,

etiam si cognoscat, nullum esse subversionis periculum. 1. Quia hæc prohibitio non solum est acta ob periculum, verum etiam in odium hæreticorum. Diana part. 6. tract. 6. num. 49. adeoque etiam si cesset periculum, non cessat finis adæquatus legis. De hoc puncto latè agit Tamb. lib. 2. Dec. cap. 1. § 7. num. 36.

521. Non excusantur à censura Cæne asportantes de uno in alium locum, vel vendentes scienter libros hæreticorum. Leander de Cens. tract. 3. disp. 1. q. 88. quia nedum sunt retentores, sed etiam fautores hæreticorum: excusatur solum, si illos asporteat inclusos in capsulis, nesciendo, ibi contineri libros hæreticorum.

522. Nec excusantur retinentes in bibliothecis ad ornatum sine animo legendi. Leand. cit. q. 64. ob rationem num. 504. insinuatam.

523. Pro libris prohibitis, qui in bibliothecis Regularium fortè retinentur. Bord. novissime in Man. Consul. de anno 1693. sect. 49. num. 15. cum Delbene vult, censuram tantum incurri Superiorem Monasterii, si libros Inquisitori non consignet, minime bibliothecarium; quia cum libri sint incorporati Monasterio, bibliothecarius solum dicitur, eorum habere curam; aliud autem est cura, aliud retentio. Ita ille, qui censuram etiam bibliothecarium incurrit, prius dixerat, in Trib. Fidei. de anno 1665. cap. 4. num. 73.

524. Non excusatur Religiosus, qui librum è bibliotheca extractum in sua camera retinet, etiam si de licentia Superioris retineat; quia verè retinet. Bord. in Trib. Fidei cit.

525. Inventus in domo cum libris prohibitis, sibi ex hæreditate relicti, suspectus non erit; si sit vir bonæ famæ, nec alias super his, aut similibus inquisitus, sed præsumitur ignorans. Bord. in Man. Conf. sect. 49. num. 73. Alberg. cap. 32. num. 24. Carena cit. 10. p. 4. num. 27.

526. Dans librum prohibitum habenti facultatem legendi, nec dicitur retinens, nec incurrit censuram, nisi prius legerit, aut retinuerit. Bord. cit. num. 31. contra Bonac. de Cens. num. 18. quia recipiens, & tradens sunt correlativi; correlativorum autem par est iudicium: unde, si unus licitè recipit, alter licitè tradit.

527. Nec obstat, quòd Dominus amiserit jus, & dominium libri; quia non dat, ut suum, nec donat, sed consignat habenti facultatem legendi, qui postea tenetur illum Superiori consignare ad comburendum.

528. Libri igitur, statim ac sunt prohibiti desinunt esse juris, & domini habentis, sed sunt juris, & domini Tribunalis S. Officii, in ordine tamen solum ad comburendos, & hoc pacto prohibitio est quadam confiscationis species. Bord. cit. sect. 48. num. 42. Hinc habens librum prohibitum, illum alienare non potest alteri dando, vendendo, &c. quia est titulus S. Officii, ut comburatur. Bord. sect. 48. num. 44.

Sec-

529. Servus retinens pro Domino habente licentiam, aut quis emens, vel ligans librum ad instantiam ejus, qui pariter licentiam habet, excusatur; quia licitè retinet, nam qui concedit aliquid, concedit facultas adhibendi media ad ejus concessionem, media namque sequuntur naturam sui finis, & ab eo regulantur. L. Oratorio 16. ff. de spons. Ita Bord. cit. sect. 49. num. 18.

Hoc autem dico veram de servo, si retineat præstando actualem famulatum domino, ut librum habeat, v. gr. librum tanquam bajulus deferendo domino: minime si librum in propria domo, aut in proprio cubiculo à domini cubiculo distincto retineat; quia licentia retinendi concessa domino non communicatur servis, nisi in quantum suum habet, ut dominus habeat; hinc si Superiori Monasterii licentiam habeat retinendi libros prohibitos, non proinde potest subditus eisdem in propria camera retinere.

530. Qui statim, ac cognovit, librum esse prohibitum, illum donavit amico, qui haud amplius eum apud se habet, non incurrit censuram; quia verè non retinet. Bord. cit. num. 20. peccat autem mortaliter contra obedientiam ratione præcepti, quo illum consignare debet Inquisitori.

QUÆRES:

531. Librum quidam hæretici de Medicina tractans, aliquas tamen continens hæreses, fuit in duas partes divisus: & quia Petrus retinet partem illam, ubi hæreses non continentur, petit: An incurrat censuram Bulla Cæne?

Negat Ugolinius 2. p. de Casibus Reserv. Papa verb. Ac retinentes, num. 3. Suerojus in Bulla Cæne cap. 1. num. 180. apud Dianam p. 10. tract. 12. ref. 47. 1. quia, si una, vel altera hæresis, quæ continebatur in libro, inveniatur abrafa, aut ea folia detracta; ex ejus lectione, aut retentione non contrahitur censura: quia tunc liber non continet hæresim, nec adest periculum eam reperiendi. Vide num. 458. & seq.

532. Secundò; quia ex communi cum Bonac. Sanchez, Duardo, & Alberg. cit. supra sub num. 459. si opus hæretici pluribus constans coeuntibus in unum volumen, quod unam, aut aliquas hæreses continet, dividatur in plures tomos; non incurrit censuram Cæne, qui legit, aut retinet tomm illum, qui nullam continet hæresim. Pariter, si liber hæretici unam, aut aliquas hæreses continens, dividatur in plures partes, tunc non incurrit censuram, qui legit, aut retinet partem illam, quæ nullam continet hæresim.

Corroboratur paritas: nam in hac re, vel attenditur periculum hæresis; & hoc æquè in utroque casu evitatur; vel odium hæreticorum eorumque doctrinæ; & hoc in neutro casu effugitur: igitur vel in utroque casu censura incurritur, vel in neutro.

533. Nec officit, quod pars illa sit pars libri hæretici; quia si illa, etiam à libro divisa, adhuc est pars libri, & inde sufficiens ad censuram, etiam

solum à libro divisa erit pars libri, & inde sufficiens ad censuram, & tamen ex num. 471. qui unum, vel alterum solum à libro separatum legit, aut retinet, non incurrit censuram Cæne; quia ob divisionem, nec actu, nec potentia saltim proxima est liber.

534. Respondeo, eum incurrit censuram Bulla Cæne, Leander de Cens. tract. 3. dif. 1. q. 46. Bonac. Fagund. Trullench, & alii apud ipsum. Ratio est; quia ex num. 457. eò ipso, quod liber hæretici continet unam hæresim, est prohibitus totus, ac proinde prohibitio, & censura transfunditur in omnes partes, quatenus est liber prohibitus ratione totius; & quia pars libri divisa à comparte est verè pars libri hæretici, qui continet hæresim, ideò legens, aut retinens, censuram Cæne non effugit.

535. Ad 1. rationem in oppositum dico, eam esse veram, si hæresis sit abrafa autoritate publica.

536. Ad 2. paritas quidem est valida, ut Diana cit. eam non solvat, nec opinionem refutat. Sed disparitas est; quia, quando volumen constat ex pluribus toms dividitur in plures tomos, quilibet tomm jam divisus constituit per se unum librum, qui non dicitur ordinem per se, sed per accidens ad alium tomm in ordine ad faciendum unum volumen; & librum; quoniam unus tomm solitariè perfectum constituit librum independentem ab alio tomo: non sic est in casu nostro, ubi non fit divisio unius libri in plures tomos, sed unius tomi in plures partes; quia supponitur, quod liber non constat pluribus toms, & ideò qualibet pars libri divisa est per se ordinata ad compartem, & totum librum damnatum, ac proinde, non obstante divisione, pars retinet prohibitionem, & censuram, quam eam legens, aut retinens incurrat.

537. Ad 3. disparitas est ex num. 471. quia unum, vel alterum solum separatum est scriptum, non liber, nec pars libri potentia proxima: in casu vero nostro, pars divisa, cum non supponatur solum, sed volumen, saltim unius quaterni, non est scriptum, sed in se liber, partialis tamen, quatenus est per se ordinata ad compartem, & totum.

Confirmatur: solum, quia per divisionem à libro evadit scriptum, dicitur in potentia remota liber: igitur pars libri, de qua est sermo, quia per divisionem non evadit scriptum, retinet actu esse libri in se, & in potentia proxima esse libri totalis continentis hæresim.

CAPUT X.

DE IMPRIMENTIBUS LIBROS HÆRETICORUM.

538. **I**mprimendum nomine veniunt Officina impressoriae Domini, cujus autoritate libri typis mandantur: qui typos ordinant, & componunt: qui sic compositos intingunt atramento: qui torcularia premunt: qui chartas madefaciunt, aut madefactas torculari supponunt: hi namque omnes imprimere dicuntur: & ideo